

DE
TITULIS REGUM ECCLESIASTICIS
DISSERTATIO HISTORICA,

QUAM

CONS. AMPL. FAC. PHIL. ABOËNS.

PUBLICO EXAMINI MOBESTE OFFERUNTE

JOANNES WIDE,

PHILOS. MAG.

ET

GUSTAVUS LAURENT. ZETTERMAN,
SVEOGOTHI.

In Audit. Maj. d. 22 Martii 1797.

Horis ante meridiem confuetis.

ABOË, TYPIS FRENCKELLIANIS.



PRÆFATIO.

Quod arboribus, quæ in altitudinem solita majorē excreverunt, accidere videmus, ut injuriis, a tempestatibus sibi illatis, resistere minus valeant; idem quoque Societatibus Politicis, per nimiam terrarum amplitudinem non tam corroboratis, quam magnam non raro cladem ex sua magnitudine contrahentibus, sëpe contigisse, docet Historia. Cujus rei cum plura afferri possent exempla, unico tantum, sed eo illustriori, in præfenti erimus contenti. Ad summum potentiae ac gloriæ fastigium vix ascenderat imperium Romanum, cum idem ad interitum rueret; vastam hanc columnam concutientibus hinc ferocissimis, quæ a terris longe remotis in illam irruerunt, gentibus, illinc Romanis ipsis inter se adeo discordibus, ut hostibus etiam in se opprimendis sociam non raro commodarent operam. In urbe domina ista tempestate solus fere eminuit Ecclesiæ Romanae Episcopus, qui quum satis animadverteret, quam ægre Romani imprimis ferrent Exarcharum, Italiæ ab imperatoribus Græcis præfectorum et impotenter plerumque dominantium, imperium, in suum facile induxit animum, se, opibus licet et copiis, potestati,

A

87 2 (

testati, quam moliebatur, introducendæ sufficientibus, destitutum, ambitiosi tamen voti compotem futurum, si modo in turbido piscari prudenter institueret. Scite admodum hoc fecit, Principes Europæ ut potentiam Imperatorum Græcorum in Italia debellarent, tum ut Palæstinam Turcis eriperent, primum commovens, deinde vero spolia belli ab illis reportata astute et specie gloriam Religionis Christianæ augendi, sibi vindicans. Quo rerum suarum succesu excitatus, calliditati addidit arrogantiam, cumque se *Vicarium Dei* in terris, adeoque Principum, inter se non raro disceptantium, jam antea venditasset arbitrum; illi rursus superstitionis glaucomate, oculis animisque suis objecto, supereminentiam Pontificis Romani agnoscentes, decreta ejus, ceu totidem oracula et munuscula, verbalia magis, quam realia, ut divina habuerunt beneficia. Ex quo fonte illud derivandum est præjudicium, quo Reges quidam se insigniter honoratos crediderunt titulis, sibi a Pontifice Romano vel primariis hujus ministris, concessis; quorum præcipuos dum in hac Dissertatione explicare constituimus, B. Lectorem quo par est verborum honore rogamus, velit juveniles nostros conatus meliorem in partem interpretari.

§. I.

Varias esse *Tituli* significaciones ab Auctoribus satis edocemur Latinis, quarum illa nostro convenit instituto, quo indigitatur Elogium alicujus Personæ, ob præclara quædam hujus merita, ei concessum. Sicut porro post constitutas civitates, *Statutus* in *Civilem* et *Ecclesiasticum* dispesci potest et solet; ita pro diversis in illum vel in hunc meritis, *Tituli* in *Civiles & Ecclesiasticos* distingui posunt; quorum illi sunt, quos vel cives vel æqui alii egregiorum factorum æstimatores Regibus ex admiratione actionibus eorum debita tribuerunt, *Magnos* imprimis eos appellantes: vel Principes cognomini illustriſ civis, cuius exstantiora fuerunt facta, addiderunt. Quos iterum titulos Juris publici Scriptores in *Personales & Reales* solent dispescere; illis designantes rerum gestarum characteres & imperantium notas peculiares, ad hos vero referentes quidquid sine jura sine obligationes imperantium indicaret. *Ecclesiasticos* autem nuncupamus, quos Pontifex R. in Religionis Christianæ promotæ, ut prætendit, signum, re tamen ipsa propter auctam vel augendam Hierarchiam dilecto cui-dam regi, plerumque cum jure eundem titulum ad suos successores prorogandi, concessit. Qualem titulum ob dictam rationem appellamus *Ecclesiasticum*, de hoc tamen epitheto, si minus forte placeat, ferram contentionis cum nemine reciprocaturi. Pretium his titulis, a nobis mox evolvendis, diversum fuit

tributum pro majori vel minori in Pontificem R.
veneratione a) Si enim titulos Ecclesiasticos rite
expendimus, nihil plane denotant, quod potentiam
vel auctoritatem regum auctam expromeret, quare
etiam reges titulis suis civilibus Ecclesiasticum li-
cet annexentes, omnem tamen idoneam arripuerunt
occasione ostendendi, se in rebus saltem Civilibus
potestati Pontificum non esse subiectos. Immo, ci-
vis quisque, in colloquium regis admisus, vix au-
deret titulo, a nobis Ecclesiastico dicto, eum com-
pellare; mos tamen invaluit, ut ejusmodi titulus
diplomatibus et actibus publicis, quin et librorum
dedicationibus, præfertim ipsi contextui, non ine-
ganter inseratur.

§. II.

Inter titulos, generatim a nobis hactenus com-
memoratos, ut antiquissimus, ita primo loco no-
minandus est *Titulus Regis Christianissimi*, Regibus
Galliae a multis retro sœculis proprius factus. De
hujus

a) Obiter observamus, *titulos* non optimum a singulis ha-
beri modum, acquisitam gloriam ad feros prorogandi
posteros. *Les titres*, scribit illustris de VOLTAIRE, ne
servent de rien pour la posterité; le nom d'un homme,
qui a fait des grandes choses, impose plus de respect,
que toutes les épitèthes. *Essai l'histoire générale*, Tom.
VI. Cap. 13. p. 202.

5

hujus origine perhibent Historici, Galliæ Regem
CLODOVÆUM I. a gentilismo ad Christiana Sacra-
tam precibus conjugis **CLOTILDIS**, quam Episcopi
Remensis **REMIGII** institutione conversum, Titulum
Regis Christianissimi ideo obtinuisse, quod quum
multi vicinorum Principum ad ARII partes transiissent,
ipse a Remigio, Episcopo orthodoxo, uti appellatur,
se et multos suos cives baptizari voluerit *b)*. Quis
autem titulum istum Clodovæo tribuerit, ad liqui-
dum non constat; quidquid autem hujus sit, proba-
bile est, titulum hunc ab initio fuisse personalem,
sequentibus demum saeculis in familia Regia heredi-
tarium factum; nullis tituli hujus indiciis per lon-
gam temporis seriem in Historia Regum Galliæ oc-
currentibus. Aliis Scriptoribus suit persuasum *c)*,
Galliæ Regem **CAROLUM MAGNUM**, cuius in se-
dem Pontificiam insignia fuisse merita notum est, titu-
lum *Regis Christianissimi* a Pontifice **LEONE III** fu-
isse condecoratum, quod dubium tamen aliis obve-
nit, **EGINHARDO**, Regis illius Cancellario et genero
nullam tituli hujus, sed *Imperatoris et Augusti* titu-
lum in grati animi testificationem a dicto Pontifice.

A 3

con-

b) *Gregorii TURONENSIS Annales Francorum Lib. II.*
Cap. 30.

c) *GUICCIARDINI Lib. IV. citat. a GOBBELIO in Cæsareo.*
Papia Romana p. 463.

concessum fuisse, commemorante, et insuper adjiciente, Imperatorem hunc in suo epitaphio appellari Regem *Orthodoxum d)*; omisso proinde *Regis Christianissimi* elogio. De Galliae Rege CAROLO VII perhibent Scriptores, quod Pontifex R. PIUS II in epistola ad eum scripta declaraverit, titulum *Christianissimi* in Familia Gallorum Regnatrice esse hereditarium, propterea quod eorum majores Ecclesiam Christianam semper defendissent *e)*; cui statuto aliud A. 1496 superaddidit Pontifex PAULUS II. ex cujus tenore titulus *Regis Christianissimi* Regibus Galliae foret in posterum proprius. Non vero eundem semper fuisse insequentium Pontificum sententiam constat; docent enim Annales, ALEXANDRUM

VI

d) Cfr. EGINHARDI *Vita Caroli M.* p. 37.

e) Cfr. KIPPINGII *Animadversiones in Aubrii prætensiones Gallicas*. Refert quoque SCHURZFLEISCHIUS, recentiorem esse Christianissimi titulum, quippe saeculo XV a Capetinis (forte Valesiis?) Regibus Franciæ funitum, et ante hos in loco *epitheti* habitum, nec in CAROLINI ævi curiam receptum, vide *Disput. de Titulo Augusti* pag. 33. Commemorat quoque Nob. von DALIN, auctoritate celebri Historici Gallici D'HARLEY (*Histoire de France* Tom. I. p. 243) inductus, RIGORDUM, natione Svecum, qui historiam Regis Galliae PHILIPPI AUGUSTI conscripsit, primum fuisse Historicum, qui Galliae Regi titulum Christianissimi tribuerit, vid. *Histor. Svecar.* Tom. II. pag. 216 *not. d.*

VI maximopere quidem, frustra tamen, quum Collegium Cardinalium reniteretur, contendisse, ut titulus hic ad Regem Hispaniae transferretur, eumque pari successu imitatum esse Pontificem JULIUM II, qui sicut in Regem Galliæ LUDOVICUM XII acerrimum conceperat odium, ita huic non modo titulum *Regis Christianissimi*, sed totum etiam Galliæ regnum pro vicaria Dei in his terris potestate, quam sibi arrogabat, adimere molitum, e vivis vero prius decessisse, quam meditatum opus perficere posset f). Inde autem ab initio saeculi XVI Reges Galliæ in actibus publicis indiscriminatim salutantur Reges *Christianissimi* et Reges Galliæ, a suis vero subditis appellantur *le Roi, Sire et Votre Majesté*, priori titulo reverentiæ, Monarchis debitæ, nequaquam conveniente. Immo notari meretur, titulum Regis *Christianissimi*, tamquam essentialie Majestatis Gallicæ requisitum fuisse habitum, quo intuitu D. MEZERAI refert, declarationem Regi HENRICO IV, antequam ad Religionem transiret Papisticam, fuisse factam: que la qualité de très Chrétien étant essentielle à un Roi de France, il ne pouvoit pas recueiller la couronne, qu'avec cette condition g).

§. III.

f) *Institutions Politiques par Mr. le Baron Bielfeld, Tom. III p. 80.*

g) *Abrégé Chronolog. Tom. VII. p. 7.*

§. III.

Gentium Europæarum annales evolventibus animadvertere licet, alios etiam Principes cum Galliæ Regibus in consortium tituli *Christianissimi* venisse, quod nonnullis evictum dabimus exemplis. AMBROSIUS, inter Patres Ecclesiæ perquam Celebris, GRATIANUM encomio *beatissimi* ac *Christianissimi Imperatoris* compellat *h).* Hoc quoque elogio ob insignia in sedem Pontificiam merita et beneficia ornati sunt CAROLUS MARTELLUS et PIPINUS, cum *Majores* tantum *domus* in Gallia adhuc esent. Nec ignotum est, titulum *Christianissimi ignorantiæ* sæculis adeo eminentem fuisse habitum, ut Westro-Gothorum in Hispania Rex RECAREDUS I illum ut honoris prærogativam a Patribus Concilii Toletani reciperet *i),* et Pontifex ALEXANDER VI, natione Hispanus, omni, quo potuit studio, irrito tamen, ceu indicavimus, successu, in eo elaboraret, ut titulum sæpe nominatum ad Hispaniæ Reges transferret, rem gratisimam his ita facturus. Quamvis Godofredus BULLIONÆUS, Dux Lotharingiæ Ripuariæ, id est, Brabantiæ, subinde vocetur *Christianissimus Hierosolymorum Rex;* ipse tamen hoc titulo se

b) Epist XXVI.

i) Roderici Sancii Vit. Recaredi.

se scribere non est solitus k). Mittimus alios Europæ Reges, titulο Christianissimi quondam condecoratos, fas autem non est reticere, Svethiæ Reges in consortium hujus honoris etiam venisse. De O-LAVO SKOTTKONUNG scribit ADAMUS BREMENSIS: *Hæc est civitas Skarane maxima, in qua, petente Rege Christianissimo OLAPH, primus ab UNWANO Archiepiscopo, THURGOT est ordinatus Episcopus l).* Alio loco idem commemorat Scriptor: *Christianissimum Sueonum Regem JACOBUM migrasse a sæculo m); simili elogio cohonestans Svethiæ Regem STENKIL-LUM n).*

§. IV

Quantum gaudium Pontifici R. peperit Galliæ Regis CLODOVÆI I ad Religionem Christianam, rejecta hæresi Ariana, conversio, vel exinde patet, quod alium adhuc titulum ei tribuerit, *Primogenitum Ecclesiæ Filium* eum nuncupans. Sequenti tempore blanda hæc appellatio raro fuit adhibita, quoties solummodo Pontifices auxilium Galliæ Regum B fibi

k) SCHURZFLEICHII Disert, de Vitricis Ecclesiæ, pag. 29.

l) Histor. Ecclesiast. Lib. II. p. 27.

m) Lib. modo cit. III. p. 36.

n) Hist. Ecclef. Lib. IV. pag. 47.

sibi ducerent perquam necessarium. Præsumere quoque licet, Galliæ Reges hunc ægre admisisse titulum, utpote memores, quid Pater a suo postulet filio, Pontificesque adeo hoc titulo submonere saltem tacite voluisse, suas rogationes in causis gravioribus parum a mandatis differre. Attamen dum Pontifex R. Galliæ Regi addit titulum *Primogeniti Ecclesiæ filii*, jus quoque primogenituræ seu præcedentiæ præ ceteris Europæ Regibus ei asseruit; quam etiam honoris prærogativam per suam magis potentiam, quam ex Pontificis auctoritate sibi vindicare studuerunt Galliæ Reges, sicut Annales passim docent..

§. V.

Titulo *Regis Catholicæ* primus forte insignitus fuit Westro-Gothorum in Hispania Rex RECARÈDUS I, ex auctoritate Concilii Toletani eum obtinens, quod non ipse solum hæresin Arianam, quæ Ecclesiam Christianam ea tempestate graviter adflicxit, ejuraret, sed subditos etiam suos ad idem faciendum permoveret^{o)}. Videtur autem hic titulus tunc suisce personalis, ceteris Hispaniæ Regibus aliis: aliquisque honorificis epithetis, indolem eorum exprimentibus, inclytis. Post sesquisæculum exinde Legionis

^{o)} Cfr. MARIANÆ *Histor. de Rebus Hispaniæ*, Lib. VII.
C. IV.

) ii (

gionis Rex ALPHONUS I ob sua in Ecclesiam Romanensem beneficia titulum *Regis Catholici* obtinuit. Imprimis autem FERDINANDUS II Castiliæ et Aragoniæ Rex, postquam, ut Pontifici, quod impense studebat, gratificaretur, magnam civium suorum partem, in Religionis negotio a se disidentem, ejecisset, horrendumque Inquisitionis tribunal in Hispania constituisset, hoc pravi Religionis zeli tulit præmium, ut ipse *Rex Catholicus* appellaretur, et successores sui eodem ornarentur elogio p); quo etiam in publicis citari actibus sibi ducunt honorificum. Verbo tantum monere liceat, titulum *Regis Catholici* aliis quoque Imperantibus fuisse tributum.

§. VI.

Ad Solium Portugalliae vix pervenerat SEBASTIANUS, cum obtentæ dignitatis splendorem aucturus, titulum etiam Ecclesiasticum desideraret. Quod ut cognovit Papa, optionem eligendi sibi titulum, quem vellet, ei concessit; qui igitur, qua fuit simplicitate, se titulo *Regis obedientissimi* satis honoratum credidit. Quum vero obedientiam Majestati regiae haud convenire animadverteret Portugalliae Rex JOHANNES V, in sedem Pontificiam ceteroquin munificentissimus, a Pontifice BENEDICTO

p) Ita enim MARIANA: accepit ab ALEXANDRO Pontifice FERDINANDUS *Catholici cognomen*, in posteros cum regno transfusum, stabili possessione, Lib. XXVI, Cap. 12.

XIV eam A. 1749 expertus fuit indulgentiam, ut prior ille titulus in *Regis Fidelissimi* titulum mutaretur; qui proinde edictis publicis insertus, et ab exterris Principibus, in isto elogio nihil invidendum reperientibus, concessus, præfertim quum ambigua esset ista *fidelitas*, utpote vel Ecclesiam vel Pontificem respiciens. Hinc Celeb. BÜSCHING: *Ueber die eigentliche bedeutung desselben ist man noch nicht einig; der eine übersetz ihn der allgergetreueste, der andere der allgerglaubigste. Es scheint, als ob die alten Schriftsteller, welche ihn den Königen von Portugal schon beygelegt z. e. Franciscus de Albertinis, dem Pabst nur anlaß gegeben, einen wirklichen Charakter daraus zu machen q.*

§. VII.

Similis quoque honoris haud exsors fuit Angliae Rex. Cum enim fundamenta Hierarchiæ Pontificiæ per Ecclesiæ Christianæ reformationem, divinis auspiciis a LUTHERO suscepitam, graviter quaterentur, hos ausus indigne ferens Rex HENRICUS VIII, in disputationibus Theologicis eminendi præcipuam ponens gloriam, scripto quodam septem Pontificiorum sacramenta acriter adeo defendit, ut favorem Pontificis LEONIS X iniret, atque in præmium eruditionis ac zeli titulum *Defensoris Fidei* obtineret r). Cujus vero indulgentiæ Pon-

q) Cfr. *Citat. Auctoris Opus Geogr.* Tom. II. Vol. I. p. 20.
r) Bulla Pontificis habetur in J. J. SCHMAUSI Corp. *Juris Publ. Acad.* Tom. II. p. 2243, adde *Confirm.* Ejusd. p. 2249.

Pontificem non multo post pœnituit, Rege eodem, ob dissensum Pontificis in causa matrimoniali, perpetuum ab Ecclesia Romanensi divortium faciente, imperium Hierarchicum in Anglia abrogante, et se ipsum suasu Parlamenti Caput Ecclesiæ Anglicanæ declarante; titulum tamen *Defensoris Fidei*, alio tamen, quam Pontifex tribuerat, sensu retinente ^{f)}, et ad suos transmittente successores. Regis hujus filia, Regina ELISABETHA licet Caput Ecclesiæ nominari recusaret, a suis quippe Theologis edocta, Deum solum esse Ecclesiæ Caput; titulum tamen *Defensoris Fidei* ceteris honorum prærogativis annexuit; quem etiam morem Reges Angliæ constanter obseruant.

§. VIII.

Magnam omnino fuisse Pontificis R. in Poloniā, per ipsam Regni constitutionem, auctoritatē, nemo forte est, qui ignoret. Quum enim Poloniæ regnum fuisset electivum, &, durante interregno, Archiepiscopus Gnesensis, ut primas regni, esset Interrex summamque imperii, vacuo solio, administraret; quisque facile animadvertisit, quod opportunam hanc occasionem augendi & Hierarchiæ & sua commoda e manibus non dimiserit, quæ novus Rex vel augere vel saltem confirmare solebat, aliquo proinde titulo honorario a Pontifice condecorandus. Titulum igitur *Regis Orthodoxi*, aliis Europæ Regibus antea tributus, a Pontifice ALEXANDRO VII obtinuit Poloniæ Rex JOHANNES CASI-

f) Cfr. TURRETINI *Opusc. Tom. I.* pag. 661.

MIRUS t), quem tamen titulum nec Majestatis titulo annexuit Rex, nec eodem ipse in actis publicis, nisi forte in Bullis Pontificiis, compellatur.

§. IX.

Liceat adhuc, antequam finem huic imponimus disquisitioni, alium nominare titulum Ecclesiasticum, ante aliquot abhinc annos renovatum. Ex Historia notum est, Hungariæ Regem, STEPHANUM, circa initium saeculi XI, a Pontifice SYLVESTRO II ob zelum in religione Christiana propaganda, imprimis vero quod Coronam u), Majestatis insigne, a Pontifice expeteret, titulum *Regis Apostolici*, quo majorem forte ille dare non potuit, obtinuisse. Neglectum autem fuisse videtur honorificum hoc epitheton, donec Pontifex CLEMENS XIII A. 1758 idem concederet Imperatrici Germaniae & Hungariæ Reginæ, MARIAE THERESIAE, eam titulo Reginæ Apostolicæ condecorans, propterea quod Borussiæ Regem FRIDERICUM II omnibus, quibus valuit copiis persequeretur. Immo, hodiernus etiam Germaniæ Imperator, FRANCISCUS II, se Bohemiæ & Hungariæ Regem Apostolicum appellat.

t) Cel. BüSCHTNGII Lib. citat. Tom. I. Vol. II. p. 931 et 939.

u) Corona haec Regalis maximi adhuc sit ab Hungaris, Coronam *Sanctam* et *Apostolicam* eam appellantes.